TRACTATVS DE PROVIDENTIA DEI.

AUTHORE
GVILIELMO PEMBELO,
Aulæ Magdalenensis in Academia Oxoniensi nuper alumno dignissimo.

Editio Postrema.

LONDINI,
Excudebat I. B. sumptibus I. BARTLET, sub signo deaurati Calicis in Cheapside. 1631.

BENEVOLO LECTORI. S.

EN habes impressam (Erudite Lector) pulchram sanè et neruosam viri doctissimi dissertationem, in qua, tanquam in speculo, cùm lux tum lex diuinæ prouidentiæ planè opponitur, & planè exponitur: tractatus certè lectu dignissimus: nostrâ enim hoc multum interesse puto, vt ipsam Dei prouidentiam cognoscamus

mu, etsi fortasse ignoremus et modum et rationem omnium actuum qui sub intuitu et influxu diuinæ administrationis cadere solent; Nobis verò hoc saltem persuasissimum esse debet: Deum scilicet patrem nostrum toti quidem Mundo præesse, et præcæteris cunctis rebus, humanis actionibus suauiter & sapienter consulere, neq; solum vniuersis, verumetiam singulis: nihilq; à nobis geri vel posse sine numine diuino, vel deberi sine sancta eiusdem Numinis agnitione; imo Christianis & pys omnibus tam necessaria est Prouidentiæ supremæ cognitio, vt ausim dicere sine ea consistere non posse, nè prima quidem religionis rudimenta. Quidenim fidem nostram magis firmat, vitamq; nostram tàm reformat quàm cognitio iuxta et

agnitio

gnitio diuinæ prouidentiæ? Palàm autem est ipsum Diabolum (quocunq; pij vertant oculos) innumera parata habere pietatis impedimenta, idq; præcipuè hisce vltimis et pessimis temporibus, verum cum nobis semel profixo ratoq; fuerit, Deum (qui totus oculus est) ita omnia curare, vt vnum aliquid; et ita singula ac si illud curaret vnicum, tum nullo negotio dissipantur omnes Diaboli insidiæ, nobisq; licebit intrepidè in pietatis studio vltrà procurrere. Ex hac etenim doctrina satis abundè et facilè comparantur ea omnia quæ opus sunt ad fidem ritè plantandam, et vitam nostram rectè instituendam. Faxit Deus Omnipotens, qui omnia sub manu habet, vt hæc de prouidentia dispensatio, Ecclesiæ e-

molumento, et Pietatis incremento quàm fœlicissimè inserviat, Amen.

Tuus in Iesu Christo,

RICH. CAPEL.

Opera Dei sunt

De Operibus Dei.

Opera Dei sunt

1. Personalia, quæ fiunt à singulari Principio; Personam, scilicet secundum propriam et personalem relationem. Atque hæc sunt,

1. Simpliciter (a) Personalia, quorum Terminus à quo, et ad quem est regularis. Hæc sunt Opera Relationis, vt Gignere, Spirare, &c.

2. Secundum (b) quid, quorum Terminus ad quem est communis, *viz.* Creatura. Et principium actus commune est in tribus Personis, Terminus autem proprius est in vnâ tantùm.

Vt, { Creatio Patris. / Redemptio Filii. / Sanctificatio Spiritus sancti.

a Atque hæc opera non sunt Voluntatis ex deliberatione agentis: sed Naturæ necessariò agentis.

b Hæc sunt Voluntaria.

2. Es-

2. Essentialia, quæ fiunt à communi principio, viz. essentiâ, et terminantur in Creatura. Vt Opera ad extra, quæ fiunt ab omnibus personis, seruata interim Ordinis distinctione.

Hæc vel, { Interna in Consilio et Decreto. / Externa in Executione.

De Vtrisque In Genere.

De fine Theologiæ, vbi de operum Dei *Diuisione*.

FInis proximus Theologiæ respectu hominis, est Vita seu salus æterna, cuius gradus duo sunt: 1. imperfectior, & inchoatus in hac vita, qui dicitur Consolatio, summa nempe lætitia & pax conscientiæ, ex 1°. Fiducia remissionis peccatorum, & pœnarum peccatis debitarum, & Reconciliationis. 2°. Ex initio sanctificationis & conformitatis nostræ cum Deo, cum spe & gustu futuræ perfectionis in vtrisq;. 2. Alter perfectior & consummatus post hanc vitam ex plenâ Dei fruitione ortus, quando anima & corpus perfectè [a] vnietur cum Deo, & [1] ex

[a] 1 Ioh. 1. 3. [1] Cor. 15. 28

P.B. 40.

ex eâ Vnione illa fiet Deo conformis in intellectu & voluntate, hoc incorruptibile & pulchrum, vtrúmq; summè gloriosum in [b] Cœlo beatorum permanebit. Hæc de Fine leuiter præcognouisse sufficiant, quæ in sequentibus vberiùs tractabuntur.

b Ioh. 14. 2. 3
2 Pet. 1. 4.
Phil. 3. 21.

Finis iste, nempe Salus nostra, consideratur duplici modo:

1. Primò in Causis suis, quæ sunt Dei Opera, & Effecta.

2. Secundò in Subiecto suo, *viz.* Homine eiusq; Statu vario.

Hanc sequuti diuisionem, agamus primo loco de Dei operibus, vnde tota salus nostra dependet. Sunt autem Actiones siue Actus Dei,

1. DECRETVM, quod est Actio Dei, ex Consilio, & Proposito suæ voluntatis, omnia omniumq; rerum circumstantias omnes & ordinem, ab æterno in se certò & immutabilitèr, tamen liberè definiens. *Act.* 2. 23. *Act* 4. 28. *Act* 15. 18. Quicquid enim vel Creatura ipsa, vel Deus circa eam operatur, id ab æterno, vt ita fieret, decretum est *Ephes.* 1. 11. *Mat.* 10. 29. duo passerculi, &c. Neque bona

bona tantùm, sed etiam Mala malorum Opera iustè decreuit. Malum enim, respectu Dei ordinantis, Boni rationem habet (nec enim datur summum Malum) vt ex eo patefiat Gloria Dei in Iustitiâ & Misericordiâ suâ, 1. *Petri* 3. 17. [si ita velit Dei Voluntas,] &c. Atq; hoc Decretum omnium rerum Principium ἐνεργητικὸν est, & omnium Causarum Causa. Quia decernit Deus quod vult: quod vult autem efficaciter potest operari. Etsi verò in Principium necessarium, tamen non tollit, nec voluntatis in aliquid libertatem, nec Causæ secundæ naturam, & Proprietatem: sed ordinat, & ad finem disponit constitutum. Vnde effectus contingentes, vel necessarij sunt, prout secundæ Causæ natura fuit. Confer, *Act.* 17 3. cum *Mat* 25. 39. Necessariò, & tamen nolens, mortuus est Christus; & contingenter respectu χριστοῦ. Atq; hoc opus siue actus Dei, Internus est & æternum Immanens in ipsa essentiâ suâ.

EXECVTIO DECRETI, est actus Dei, quo Deus omnia, prout

præscita, atq; decreta sunt, in tempore efficaciter operatur, & facit vt existant & actu sint. Huius partes sunt duæ:

1. Operatio siue efficax productio Bonorum quæ sunt & fiunt.

2. Operans Permissio, qua Deus idem opus,

1 Permittit ab aliis fieri spontaneâ permissione, quatenùs malum est, deserendo Creaturam in actione, vel detrahendo, vel non largiendo Gratiam. *Rom.* 1. 26. [tradidit] 2. *Tim.* 2. 26. [det ei Deus] Et hoc totum iustè, quia nemini debitor est. *Rom.* 9. 15. Et liberum est ei Gratiam dare quibus vult. *Mat.* 20. 15.

c Gubernando & ordinando.

2. Efficienter Operatur, quatenùs Boni habet rationem, et non tantum vidè permittit *Gen.* 30. 20. [Deus cogitauit illud in bonum] vt est *Gen.* 45 7. *Isa* 10. 5. [Ille non sic cogitat] Habet vero ratio em Boni, vt est. 1. Pœna peccati. Pœna enim bonum est Morale, quia Iustitiæ opus. 2. Vt est Mera Actio vel Actus. 3. Vt est Castigatio, Exercitium Fidei, Martyriu n, satisfactio pro pec-

cato

cato, vt mors Christi. *Act* 2 4 supra allegatis Locis. Atq; hæc Actio Dei Externa est, et actu Temporali transiens à Deo ad Creaturas.

Sicut autem Decretum, ita et Executio Decreti diuersorum sunt generum.

——Est quidem Decretum,

- Duplex
  - 1 Commune & generale, quod ad omnes Creaturas spectat.
    - Est
      - Decretum Creationis,
      - Decretū Gubernationis, seu Prouidentiæ.
  - 2 Speciale, quod ad Creaturas rationales, Angelos atque Homines pertinet. Vocatur Decretum Prædestinationis. Et constat ex
    - Decreto
      - Electionis de saluandis, quibusdam Angelis & Hominib⁹.
      - Reprobationis, de damnandis,

His ex aduerso respondent Decretorum Executiones.

Sunt 1. Communes,

- Executio Decreti Creationis, quæ est CREATIO.
- Exec. Decr. gubernat. & Conseruationis, quæ est PROVIDENTIA [Opera Naturæ.]

2. Specialis.

- Exec. Decr. Elect. in
  - Angelis bonis Confirmatio in Statu.
  - Hominibus electis Redemptio & Restauratio; omniáq; Opera Dei gratiosa.
- Exec. Decr. Reprobationis, in
  - Angelis malis Deturbatio de statu, et pœna in inferno.
  - Hominibus Reiectio & Præteritio, et Obduratio, et Pœnæ, omniaq; iræ Diuinæ effecta.

Hic igitur dicendorum ordo futurus est, vt primò de Executionibus

bus Decretorum communiorum, quia de Decretis ipsis parùm habemus, vel in Scripturis expressi, vel apud Homines dubitati. Deinde de Decreto speciali, eiusq; Executione per varios gradus suos. Erit primum caput de Creatione, alterum de Prouidentiâ, tertium de Prædestinatione, in quarto de Redemptione eiusq; variis partibus, et mediis, et subiecto, Diuinâ aspirante gratiâ, pertractabimus.

De Creatione.

OPus Creationis duplicem cognoscendi rationem subit. Communem, viz. quatenùs vniuersa rerum Natura ab illo communi Principio ipso Creationis tempore fluxit: et specialem, secundum Naturam propriam cuiusque generis, Speciei et individui. Hic modus ad naturalem Philosophiam pertinet: ille verò propriè Theologicæ considerationis est. Est itaq; CREATIO actio Dei quâ Naturam et res in Na-

tura omnes, tum substantias, tum accidentia, in et cum substantiis, ex nihilo produxit, et sex dierum spatio perfecit, ad suam gloriam, et Electorum salutem. Ad eius Naturam plenius explicandam considerandae sunt quatuor.

1°. Causa efficiens, quæ Deus est; προχειρεκτικὴ, [a] Pater; δημιεργικὴ, [b] Filius; & [c] τελειωτικὴ, Spiritus Sanctus: [a] *Act.* 17. 24. [b] *Col.* 1. 16. *Ioh.* 1, 3. [c] *Heb.* 1, 2, *Gen.* 1, 2, *Psal.* 33, 6, *Iob* 26, 23. Non verò vel alia Natura, vel Angeli, vel Dæmones, vel Fortuna, vt hæretici, aliiq; censuerunt. Sed enim Mundum siue rerum vniuersam Naturam non ab æterno extitisse: verùm, cum Creatori visum est, iuxta Consilium ipsius et voluntatem cœpisse: ab eóque fuisse conditum, nobis, vt certò credamus, persuadent,

b Quæ loca Samosateniani perperam detorquent.

1 Primo quidem et principaliter Fides, vt est *Heb.* 11, 3. quæ cùm allegatis, tum aliis innumeris Sanctæ Scripturæ locis fundata est. Vt *Gen.* 1. et *cap.* 2. vbi habemus historiam Creationis, *Iobi capita* 37, 38, 39. *Psal.*

Psalmi 104.136. totiferè. *Isai* 40. & 21. &c. *Psal* 33.9. *Iob* 9.8. *Apoc.* 4.11. *Rom.* 11.36. *Isai* 45.12. Secundariò autem & probabiliter, Lumen Naturæ, hisce rationibus elucescens.

Prima, Origines Gentium à Mose explicatæ, *Gen* 10. & alibi, quæ ab eo confingi non potuerunt, cum aliqua earum memoria tunc extaret apud multos, quæ tamen progressu temporis extincta est.

Secunda, Origines [d] Artium, quarum primi Inuentores qua quisque ætate floruerant, constat. Non est autem probabile tot sæculis antecedentibus, sine artibus vixisse humanum, genus atque his vltimis Temporibus omnes fuisse & inuentas et perfectas.

Tertia, Nouitas omnium Historiarum gentilium, quarum antiquissimæ nihil ante Cataclysmum Noachi (vt [e] Berosus) vel Ogygis (vt Varro) vel initium Monarchiæ Assyriorum Regni Nini (ut Trogus) gestum referunt. Quinetiam ipsa Historia sacra tantùm annorum 4000. plùs minùs est. Quæ tamen vetustissimum

d Cl. Alexand. Strom. lib. 1. Ioseph. Antiq. l. 2. c. 2. Heliod. l. 2. Strab. geogr. vlt. Plin. l. 7. c. 6. Polyd. Inuent. ex Diodor. ant. lib. 2. c. 21

e Vid. Ioseph l. 1. contra Appionem. & Lucretium l. 5. *Præterea si nulla fuit genita in orig. &c.*

mum est Antiquitatis Monumentum. Atqui indignissima esset contumelia, atque opprobrium in Homines illos, qui tot infinitis antea vixerunt sæculis, si diceremus eos fuisse adeo vel socordes vel ignaros, vt non voluerint, aut potuerint res gestas sui Temporis literis consignare.

Quarta, Certa series Temporum ab initio Mundi, ad exhibitionem Messiæ.

Quinta, Decrementum [f] Corporis et ætatis humanæ; Quæ à maiore robore, quantitate, & vitæ Tempore in natura recenti hucúsque ad pusillum aliquod deuenit. Quòd si ita semper infinitis sæculis decreverat, iam penè in nihilum redacta foret.

f Aug. Ciu. Dei. p. 15. c. 9. Plin. l. 7. c. 16 A. Gell. l. 3. c. 10. Hom. Il. 5. Juven. Sat. 15

Sexta, Series causarum certa, et impossibilitas processus earum in infinitum. Necesse enim est vt detur aliquod primum, quod sit causa Vniuersalis. Primum autem non est, nisi sit vnum; nec vnum, nisi sit Deus. In tot enim corporum mixtorum [g] generibus, quæ continuâ succes-

g Præcipuè Perfectorum Animalium.

sione

one generantur et corrumpuntur, oportet concurrere ad vnum aliquod in vnaquâq; specie individuum. Quod vel æternum erat à parte ante, tandem autem esse desiit, vel in tempore cœpit, & productum est, non à causa aliquâ naturali (nulla enim erat) nec Cœlum, nec cæteræ causæ secundæ: sed supernaturali, diuinâ scilicet Omnipotentiâ. Quòd si dicatur, mixta quidem omnia in tempore condita fuisse; verùm non creata ex nihilo, sed producta & fabricata ex simplicibus atque simplicia ipsa corpora ex aliqua materia prima Deo coæternâ, eodem Dei artificio extructa et formata olim fuisse: Pernegandum est dari posse substantiam aliquam æternam, quæ non sit Deus. Essent enim duo prima, quod est impossibile. Præterea cum alia omnia sint imperfecta, oportet vt [esse sui] ab vno aliquo perfectissimo mutuentur.

Septima, Testimonium totius sanæ [h] Antiquitatis, quod ex ipsa naturæ voce, et veritatis sensu haustum aliquod ponderis in hoc negotio

h Arist. de cœl. l. 1. c. 10. Diod. Sicul. l. 1. c. 2. Aug. ciui. Dei l. 18 c. 39. & l. 11. c. 4. & l. 12. c. 17. Lact. l. 7 c. 3.

tio haberi debet. Omnium enim, præsertim [1] sapientiorum consensu, et authoritas vniuersa huic originem & initium assignauit.

His possunt addi et hæ rationes.

Octaua, Res vt est ita agit, atqui Deus in essendo ab alio non pendet, ergo neque in operando materiam præiacentem requirit.

Nona, Ars præsupponit Naturam; Natura verò materiam. Deus qui causa est excellentior in operando, nihil præsupponit.

Decima, Prima causa (*viz.* Deus) est infinita, ergo potest quicquid non implicat contradictionem. Creatio verò rerum in principio temporis non implicat. Ergo, &c.

His rationibus efficitur, mundum non esse æternum: sed à summo omnium Artifice in tempore creatum fuisse. Immò neque potuisse ab æterno existere, si ita Deus voluisset illum ab æterno creare. In hac verò quæstione tractandâ, subit mirari vel ignorantiam, vel incogitantiam Conimbricensium, qui Creationis

[1] Tum Philosoph. tum Poëtar. immo ipsius Aristotelis (qui tamen maxime hic nobis aduersari videtur.) vt patet ex his locis. Rhet. l. 2. c. 23. De generat. li. 2. c. 20. text. 58.

ne-

negotium copiosè [k] explicantes; cum primùm dixissent; [l] Creationem Naturæ lumine cognosci potuisse, ac reipsâ cognitam fuisse (nam [m] Aristotelem cognouisse,) postea [n] tamen affirmant, Quod spectato solo Naturæ lumine, nullam rationem adduci posse, quæ Creationem palàm demonstret. Præterea, quando [o] definiuissent Creationem esse rei ex nihilo productionem, atq; Mundum ita esse creatum in tempore, [p] confutatis Philosophorum aduersariis rationibus, probassent; subiiciunt, potuisse Mundum ab æterno creari. Istius enim [q] Quæstionis [num aliquid a Deo ex æternitate procreari potuit] partem affirmantem defendunt, atque [r] asserunt, Non tantùm substantias incorporeas, vt Angelos, sed etiam corporeas, siue permanentes, vt Cœlestia corpora, siue corruptioni obnoxias, vt homines, &c, potuisse à Deo ab æterno produci & effici: atque in infinitum (ex vtrâque parte) tempus conseruari. Et hoc neque Deo creanti, neque rebus creatis, neque ipsi Creationis

k Comment. in Arist. Phys. l. 8. c. 2. Quæst. 1.
l Ib. Quæst. 2. Art. 1.
m Ib. Quæst. 2. Art. 2.
n Ib. Quæst. 3. Art. 3.
o Quæst. 1. Art. 1.
p Quæst. 4. Ar. 3. & 4.
q Quæst. 6. Art. 2.
r Quæst. 7. Art. 1.

tionis Naturæ repugnare, ausi sunt affirmare. s Prolatis instantiis de sole, qui, si æternè fuisset, æternum illuminasset (Dei autem virtus minor solis virtute non est) et de Verbo Diuino, quod ab æterno producitur. At enimuero et in istâ ratione, et instantiis, maior insit insania, an impietas, non facilè dixeris. Ita planè in t soluendis rationibus, quibus veritas partis negatiuæ firmissimè probatur, ridiculum certè est, quàm se miserè & infœlicitèr in cudendis distinctiunculis torqueant & fatigent. Sed consule, si placet, locum. Libet enim nugas istas omittere, vt et alias ineptias. De anni Tempore quo Mundus est conditus; An æstiuo, autumnali, an vernali, et de die etiam quo creatus est: quem illi u magistraliter definiunt eundem esse quo Christus resurrexit à mortuis, (Quod factum est die à Creatione octauo.) Suffecerit nôsse Mundum creatum esse à Deo in x Principio, (*i. e.*) in initio temporis, vel simul cum tempore, potiùs quàm in tempore. Primum enim instans, et momen-

s Quæst. 6. Art. 2.

t Quæst. 6. Art. 1. & 2.

u Quæst. 71. Art. 2.

x Gen. 1. 1.

mentum Creationis, fuit principium omnis subiequentis, non finis præcedentis temporis.

2.° Materia Creationis distinguitur duplici modo, prout ipsa Creatio duplex est. Nempe, vel

1 Primaria et immediata. Et huius Creationis nulla prorsus materia fuit Deo coæua : aut ab eo existens. Etenim Deus principium dedit Naturæ, non per Naturam, sed per se immediatè. Cúmque Deus sit infinitæ Potentiæ, omnem materiam necessariam, necessariò excludit. Quare Diuinâ Potentia, non ex aliqua præexistente & substrata materia, sed ex Mero nihilo & non ente Naturam Entium primò eduxit. Atque hoc modo creabantur.

1°. Substantiæ omnes incorporeæ, et immateriales, et supercœlestes, vt Angeli, et Cœlum Empyreum, et Anima rationalis. Quæ enim Materiæ expertia sunt, ex Materiâ fabricari non possent.

2. Substantiarum omnium corporearum, et materialium primum principium, et subiectum (si quod e-

rat eiusmodi) ex quo deinde singulæ factæ sunt et constant. *viz.* Materia prima, ingens illa massa rudis, et indigesta moles, tenebricosa & obscura, partim Aquea, partim Terrea; sicut describitur his Conditionibus, *Gen.* 1. 2. Et à Mose vocatur Terra, ab aliis Chaos. Hanc Materiam nolunt existere, tum informem, *i.e.* omni formâ secunda, distinctâ & specificâ priuatam: tum formatam, scilicet communi et [y] prima formâ: postea verò per diuinam Potentiam specificas omnium corporum simplicium, et mixtorum formas induisse. In quâ sententia etsi maximi semper fuerint, tum ex Ethnicorum, tum ex Christianorum numero viri, tamen haud videtur admittenda propter has & multis aliis rationes:

[y] Keeker. Systema logic. l. 1. sect. 2. c. 17.

1. Nulla dari posse ratio probabilis videtur creandi istius Chaos confusi, ex quo deinceps omnia distincta prodirent. Cum Deo æquè facile, et multò magis certè gloriosum fuerat, rerum omnium Species distinctas, et perfectas primùm creare, quam ex Præcreatâ Materiâ postea ex-

extruere; Nisi cum Ratio euidens Diuini consilii patet, vt in creando Homine.

2. Repugnat natura Materiæ primæ, vt separata, et per se existat, sub forma aliquâ Communi, et generali sicut tum necessariò existebat. Quod si dicatur extitisse etiam sub formis specificis omnium corporum naturalium, verùm non distinctis, sed inter se confusis et commistis: abhorret ab istâ confusione intellectus, cùm Humanus, tum Diuinus. Neq; nos, vt fieret, capimus: neq; Deus (confusionis minimè Author) factum voluit approbare.

3. Reuerâ, Materia ista non ita informis, vt hi interpretantur, extitit: sed sub formis specificis, et distinctis corporum duorum Naturalium, Terræ et Aquæ. Sicut describitur, *Gen.* 1. 2. verbis clarissimis. Forma autem aliqua communis distinctionem efficere non potuit. Neque sine absurditate insigni potest Materia omnium rerum prima, dici vel Terrea, vel Aquea.

Itaq; per hæc verba, [In principio

pio creauit Deus Cœlum & Terram] intelligimus, vel generalem propositionem postea per partes explicandam, vel potiùs Cœli nomine, partim Substantias spirituales et cœlestes, partim ipsa Sphærarum corpora: et Terræ nomine ipsum Terræ corpus Aquis supernatantibus coopertum, quorum vtriusque conditiones mox ver. 2 describuntur, (non Chaos aliquod, et Materia prima rerum corporearum) vt in sequentibus exprimetur, cum sumus de Creationis formâ acturi. Et sic de Primaria et immediata Creatione. Sequitur,

2. Secundaria et Mediata, cùm reproducitur ex Materia præexistente, & præcreata: ita tamen rudi et indisposita, vt pro nihilo haberi possit. Sic creatus est Homo ex puluere, siue limo Terræ, *Gen.* 2. 7. Item Bestiæ et Aues [a] ex Terrâ, *Gen.* 2. 19. Quod tamen Deus fecit ex mero beneplacito, nullâ cogente necessitate, nec ipsum in agendo adiuuante materiæ assumptæ Potentiâ.

3 Forma Creationis, vel respectu

Dei

Dei, vel ratione rerum Creatarum considerari potest. Modus Creationis, quoad Deum, est, Quòd Deus non ex necessitate Naturæ suæ Mundum creauit, sed secundum Voluntatis suæ æternum & immutabile, attamen liberrimum Decretum. Quod solo nutu b verboq;, sine vlla mutatione, fatigatione, conatu, et labore omnia condidit, et stabiliuit. Vt liberè, ita facilè fecit omnia.

b Gen.1.fiat, &c. Psal.33.6.9. Rom.4.17: Psal. 148.5.

Forma, respectu rerum creatarum, est vel

1. Interna, ipsa *viz.* Naturæ vis & potentia, tum rebus omnibus modo et ratione communi; tum singulis speciebus, secundum particularem cuiusque essentiam, et conditiones, à Deo impressa. Per quam ad proprias vel communes operationes potentes reddantur.

Omnes Creaturæ factæ sunt iuxta Ideas & formas æternas in mente diuinâ. Act.15.18. Exo.25.vlt. Ista autem exemplaria & archetypa in Deo non differunt re ab essentiâ Dei. Sed sunt ipsæmet essentia Dei concepta à Deo, prout est à Creaturis immutabilis. Atq; hæ Ideæ sunt æternæ & immutabiles. Quas Deus in operando necessariò respicit, & sequitur sine Variatione: An ifex potest pro re natâ mutare Ideam præconceptam: non sic Deus. In Deo enim omnia continentur & relucent, quæcunq; effici possunt. Vid. Pol. Synt. l. 5. cap. 7.

2. Ex-

2. Externa, partim instantanea rerum omnium productio, partim Dispositio productorum ornatissima, et cùm in se, tùm inter se ordo pulcherrimus. De priore latius dicamus.

Etsi enim Creatio facta est in momento respectu singulorum corporum separatim spectatorum, tamen respectu omnium, non in instanti, sed sex dierum spatio perfecta est. Quæ tamen Dierum interstitia non tempoream eiusdem actionis successionem, sed diuersorum operum ordinem denotant, eo fine vt ostenderentur Dei

1. Potentia in producendis, quoscunque voluit, effectibus, etiam sine causis naturalibus, dum Lucem præbet Mundo, fœcundat Terram, stirpes ex eâ elicit, ante creatum Solem & Lunam

2. Bonitas et Liberalitas, dum Creaturis, etiam nondum natis prospicit, atque animalia in terram stirpibus et pabulo, homines in Mundum rebus omnibus ad vitæ Necessitatem,

sistatem, et voluptatem instructissimum introducit.

3. Non perfunctoriè sed diligenter, et distinctè opera Creationis considaremus. Nos igitur singulorum Dierum Opera sigillatim recensemus. Fuit ergo Opus

Primi diei quadruplex. 1. Cœlum, sub quo nomine comprehenduntur. 1. Cœlum Empyræum primum & immobile, quod vocatur in Scripturis [cœlum [b] cœlorum] *Act.* 1, 11. *Eph.* 4. 10. 2 *Chron.* 6. 18. *Psal.* 148. 4. 2. Intelligentiæ cœlestes sive Angeli. Quorum cognitio vel communior est, vel articularior. Illa versatur in inuestigandis illorum essentijs, & conditionibus Immaterialitatis, Cognitionis, et Rationis intelligendi Voluntatis, Potentiæ, et Motus, Simplicitatis & Localitatis, atque eiusmodi, quæ etsi in Scripturis traduntur, quatenùs sufficit ad salutarem scientiam, tamen in Metaphysicis, aut in aliqua Disciplinâ Pneumatologicâ, subtiliùs & curiosius perquiruntur. Eò rem referamus; Hæc autem respicit Angelorum Statum.

[b] Item tertiũ Cœlum, Paradisus, Sacrarium, Patria, Sinus Abrahæ. Hoc Cœlum corporearum est eiũ subtile et lucidum.

tum, siue Integritatis, siue Lapsus, atque etiam Officia et Ministeria, de quibus acturi sumus, partim in sequenti capite de Dei prouidentiâ (cuius Ministri Angeli sunt) partim inferiùs, cùm de peccato tractabimus. 3. Cœli nomine possumus intelligere ipsas Sphæras cœlestes, quas primo die creatas fuisse haud vero absimile est. Creatas scilicet primo die, sed sine luminibus istis Stellarum, quibus quarto demùm die adornatæ sunt.

Secundum & tertium Opus, erat Terra & Aqua inter se coniunctæ. Aqua enim supernatauit Terram, totámque eius superficiem circumambiuit, et fermentabat, et limosam efficiebat [c].

[c] Qua Massa vocabatur inanis & Vacua respectu ornatus illius pulcherrimi, qui postea erat introducendus, &c.

Quartum Opus, Lux erat extraordinaria planè, neq; in quo Subiecto hæsit certo constat. Siue illud Aqua fuerit, in tenuioribus superficiei partibus: siue [d] ignis, qui tamen primo die creatus fuisse non videtur, siue Sphæræ cœlestes, quod [e] verisimilius est.

[d] Sic Iun. in Gen. 1. 3.

[e] Imò planè verum.

Secundi Diei fuit, 1. Expansum

sum רָקִיעַ. Vastissimũ illud spatium inter Terram et Æthera comprehendens Elementa Aëris et Ignis. Hoc spatium Cœlum vocatur, (*v.*8.) tum plurimis alijs Locis in Scripturâ. 2. Diuisio Aquarum superiorum ab inferioribus. [*i.e.*] Nubium, quæ in media Aëris regione sunt; à Fontibus, Fluminibus et Mari quæ sub infimam regionem residunt. Nubium seu Aquarum supra Firmamentum nomine possumus intelligere omnia Meteora, tum Aquea, tum ignita, quæ tum in Causis suis creata sunt.

Tertii diei opus triplex fuit. 1. Aquarum inferiorum in vnum locum confluxus, qui appellatus est Mare. 2 Exsiccatio Terræ, vt esset alendis animalibus et Plantis apta. 3. Germinum et Plantarum omnis generis productio, *Gen.* 1. 9, 10, 11, 12, 13.

Quarti diei Luminaria, tum maiora, Sol & Luna; tum minora, vt reliquæ Stellæ.

Quinti diei, Pisces & Aues.

Sexti diei opus duplex: 1. Animalia omnia Bruta terrestria. 2. Homo

mo mas et fœmina. Adam ex puluere terræ, quò haberet humilitatis argumentum et ſtimulum in ipſo ſinu ſuo, nec ob excellentiam aduerſus Deum inſoleſceret. Eua autem ex coſtâ Adami in ſignum arctiſſimæ Coniunctionis, et amoris inter virum, et vxorem colendi. In Homine verò ceſſauit Creatio, tanquam, 1. In perfectiſſimo Diuini artificii opere. 2. In Fine cui reliquæ deſtinatæ ſunt. Adamo enim velut Principi et Domino cæteræ Creaturæ, vt Mancipia, Creatoris benignitate addictæ ſunt.

Ex his omnibus quæ de Formæ Creationis dicta ſunt, oritur illud, quod vel præſtantiſſimæ Formæ locum obtineat. Nempe

Bonitas

Bonitas Creaturæ, quæ est Excellentia Naturæ Dei, efficaci operatione ei indita, expers omnis defectus, Deformitatis, et Mali, siue Culpæ, siue Pœnæ. Erant enim omnia quæ creabantur, Valde bona. *Gen.* 1. 31. Est vero hæc Bonitas duplex.

Bonitas
- in Se
  - Essentiali.
  - Qualitatibus.
- in Aliud
  - Deum. — Agendo.
  - Homines. — Agendo.
  - Se mutuo — Patiendo.

1. Generalis omnium Creaturarum, *viz.* Integritas & perfectio omnium Donorum, et virium Naturalium, quibus potuit suas exercere operationes conformes Diuinæ Voluntati, et ordinatæ, et proprium Finem.

2. Specialis Creaturæ rationalis,

Angelorum, & Hominum, qui donis ſupernaturalibus ornati ſunt, quæ vocantur Sanctitas, ſiue Imago Dei. *Gen.* 1. 26. De quâ infrà dicturi, cum de triplici Hominis Statu tractabimus. Sed de Formâ, Reſtat vltimo Locò.

4. Finis vltimus atque ſummus, operantis, eſt Dei Creatoris Gloria in illuſtrandâ ſua Potentia, Bonitate, et Sapientia. Quas Dei virtutes in omnium Creaturarum Exiſtentia, Excellentia, Ordine, et mirabili Artificio eluceſcentes, voluit Deus à Creaturis rationalibus agnoſci et celebrari. *Pſa.* 19 1. *Pro.* 16. 4. *Pſa.* 104. 24 *Rom.* 11, 36. 2. Proximus autem eſt ipſius operis: Vt omnia ſuis vſibus Hominis inſeruiant, præcipuè verò ad Electorum ſalutem promouendam. *Gen.* 1. 28 *Pſal.* 8. 4, 5, 6, &c. 1 *Cor* 3. 22.

a Tum etiam prudentiſſimâ rerum gubernatione, et adminiſtratione, vt Iſa. 40. 26

De

De Prouidentia.

CReationem sequitur Doctrina de Prouidentia Dei. Sicut enim res sine Deo non exstitissent: ita non possunt subsistere sine Dei Prouidentia. Proximum itáque est, vt Diuinam Administrationem in Mundo regendo conseruandóque, quantum possumus, explicemus. Qua in re Duo inuestiganda veniunt.

Quod sit Prouidentia qua Mundus gubernatur. 1

Quid sit. Illud enim à multis impiè negatur, hoc verò in multis est obscurum & difficile. 2

Primo. Quod ad primum, Dari Prouidentiam aliquam Mundi Gubernatricem, etsi non tantum Epicuri de grege Porci planè inficiantur, et Stoici Deum Necessitatis vinculo, causis secundis alligantes, et denique Peripatetici cogitantes Deum neglectâ particularium curâ, vniuersalium tantùm causarum, (vt motuum cœlestium, &c.) actio-

nes moderari, et regere : verum etiam omnibus ferè nonnulla dubitatio exoriatur, propter

1. Innatam superbiam, bona Deo accepta ægrè referentem.

2. Carnale Iudicium, cui fortuita omnia videntur, præsertim Voluntates Hominum.

3. Mentis Angustias Deum nostro modulo metientis, et omnium rerum administrationem, vel difficilem, vel impossibilem, vel indignam Deo arbitrantis.

4. Obscuratam ex Lapsu huius rei Cognitionem, et ex eodem fonte ortum declinandi conspectus Diuini studium.

5. Confusiones et Peccata; quæ (Mundum Deo gubernante) vix fieri posse videntur : Tamen credit Ecclesia et docet nihil in Mundo fieri, sine certo, et definito Dei Consilio; atque circa veritatem certissimi huius et summè necessarii totius Religionis fundamenti, validis se communit Argumentis, contra Errorum, et Opinionum Impietates. Ea sunt huiusmodi;

1. Fides

1. Fides sacræ Scripturæ testimoniis infra recensendis, innixa, et stabilita

2. Rationes Demonstratiuæ, petitæ,

1. A Posteriori; Ex operibus Dei, vt, 1. Ordo Rerum sapientissimus, cùm Naturalium, tum Politicarum, qui à Naturâ brutâ, aut casu, aut fortunâ constitui non potuit: nedum conseruari. 2. Noticiæ naturales, seu Lex Naturæ in discrimine honestorum et turpium. 3 Quies vel cruciatus Conscientiæ ex obseruatâ vel violata Lege ista 4 Pœnæ & præmia factis hominum congruentia: quæ probant Iudicem esse aliquem huius Vniuersi, qui Leges tulit, et vindicem scelerum, cuius seueritatem effugere non possumus. 5 Motus Heroïci, Virtutes & Dona singularia Principibus, Magistratibus Artium inuentoribus, Artificibus, &c à Deo data in vtilitatem communem humani generis. Quæ etiam salutaria organa tollit, cum Gentem, vel Seculum puniturus est. Cuius rei exempla omni ætate plurima re-

periuntur. Deniq; iisdem rationibus, et Deum esse, et Prouidentiam dari confirmatur. De quibus in Capite de Deo, supra.

2. A Priori, ab Attributis & Naturâ Dei.

1. Deus est; ergo est Prouidentia.

2. Omnipotens Dei Voluntas, per quam omnia fiunt; sine quâ nihil potest contingere.

3. Infinita Sapientia, quâ potest rebus omnibus, quæ in suo regno geruntur, interesse; vt nihil sine eius consilio fiat.

4. Iustitia in distribuendis præmiis, et pœnis: Atque Bonitas, quâ se Creaturis communicat.

5. Præscientia rerum omnium, immutabiliter pendens à Consilio, et Decreto Diuino.

6. Curat fines rerum, ergo et media ad illos fines.

7. Est prima Causa, ergo secundæ ab illâ pendent. Et Natura, vt Dei instrumentum, acta ab illo principio vniuersali agit, et mota mouet se, aliáque secundum se.

Quid

Quid sit Prouidentia, proximo loco videndum est. Per Prouidentiam non intelligimus Præscientiam, vel præfinitionem omnium rerum in Deo: sed temporalem et externam executionem istius Decreti in actuali rerum administratione. Ita vt PROVIDENTIA sit, Actio Dei externa, et temporalis, quâ Deus omnia et singula, quæ sunt fiuntq;, tum Creaturas, tum Creaturarum facultates et actiones conseruat, gubernat, disponit, et ad medios, vltimumque finem determinato modo dirigit secundum liberrimum Decretum, et consilium Voluntatis suæ; vt ipse in omnibus glorificetur, in quâ definitione explicandâ tria nobis perpendenda veniunt. 1. Obiectum. 2. Gradus. 3. Species prouidentiæ.

1. Obiectum Diuinæ prouidentiæ. Materia autem circa quam versatur, est, vt verbo dicam, Res omnes. Specialius autem possumus eas distribuere in Res quæ 1 *Obiectum.*

§ 1. Sunt et Naturam habent permanentem, siue illæ sint

1. Subſtantiæ et Eſſentiæ Creaturarum, vel immaterialium, vel corporearum, quocunque modo, ſiue in genere, et ſpecie communiter, ſiue particulariter in Indiuiduo ſpectentur.

2. Accidentia, vt Quantitates, et Qualitates omnium rerum. Nec eæ tantum, quæ ſunt Naturæ communis in ortu et integritate ſuâ; ſed etiam illæ, quæ annaſcuntur Naturæ particulari, ex lapſu aliquo, et Defectu. Atque vtraq; hæc rerum genera ſubiacent Diuinæ Prouidentiæ, vt quoad Naturam, ita quoad vſum, quatenùs ſunt vel,

1. Fines vltimi aut intermedii,

2. Media ad fines, ſiue ordinaria, ſiue extraordinaria, ſiue neceſſaria, ſiue contingentia.

§ 2. Fiunt, quæ Naturam habent fluxam, et in tranſitu, vt omnes Creaturarum Actiones, Operationes & Motus, nec non Paſſiones, quæ diſtinguuntur duobus modis: Ratione,

* 1. Principiorum et Cauſarum efficientium, atq; ſunt vel,

1. Na-

1. Naturales, quæ à Naturâ per se efficiuntur, sine Voluntatis actu aliquo. Cuiusmodi sunt Actiones omnium Inanimatorum atque Viuentium et Animalium Brutorum, siue oriuntur à Naturâ communi, seu particulari instinctu, inclinatione naturali [illegible]uinctiam Hominis, quoad istas Naturas genericas, et, vt Appetitus suus Voluntatis naturalis instinctu ducitur. Cuiusmodi sunt, Viuere, Edere, Bibere, &c.

2. Voluntariæ, quæ à principio singulari voluntate, scilicet, rationali, et intellectiuâ producuntur, ab Angelis & Hominibus. Idque vel per Consilium, et Deliberationem, et dicitur, Voluntas electiua; vel ex inconsulto impetu, quæ est Voluntas per Causam.

* 2. Qualitatum duplicis generis.

1. Vel.

¶ 1. Necessitatis, vt quæ aliter fieri, aut esse non possunt. Hæc Necessitas duplex est.

¶ 1. Absoluta, quomodo necessaria sunt,

1. Naturæ principia, per se, et per omnia immutabiliter et infallibiliter necessaria. Vt [Totum maius parte. Bis duo sunt quatuor.]

2. Quæ oriuntur ex Naturæ principio, intrinseco,

1. Materiali, [Compositum ex contrariis necessario inest. Corpus est quantum.]

2. Formali, [Ignis vrit, Graue deorsùm tendit.]

¶ 2. Hypothetica, Necessitas Conditionis et consequentiæ. Quo modo necessaria sunt, quæ in supposito aliquo Naturæ Principio interno aut externo, necessitatem induunt. Vt [Dato vacuo, aër necessariò descendit, et aqua ascendit.]

¶ 2. Contingentiæ, quæ aliter fieri possunt, aut quæ poterunt esse, vel non esse. Huiusmodi propriè sunt, quæ accidunt indiuiduis et singularibus, siue oriantur à Causis naturaliter agentibus, vt Casus; siue à voluntariis, vt, quæ per Fortunam fieri dicuntur, vt. [Iactus aleæ, Sortitio, si [Tegula subeuntis caput in lapsu conterat.]

2. Vel

2. Vel
1. Bonitatis, }
2. Malitiæ, } siue Naturalis; quæ est ex communi conditione principiorum Naturalium in Naturalibus Actionibus; siue Moralis ex singulari principio oriundæ in Actionibus Voluntariis.

Ad hæc omnia, non tantùm quæ magna sunt et ardua, sed etiam minima, et vilissima, Diuina Prouidentia se extendit. Quæ variis Scripturæ locis confirmari potest; tum generalibus, vt, *Eph* 1.5. *Psal.*94.8. Ex *Act.* 17. 25, 28. *Eccles.* 3. 11. 1 *Sam.*2.3. *Lament.*3.37. tum specialibus de rebus naturalibus et necessariis, vt, *Psal.*147.8,9. *Psal.*136.25. *Matt.*6.26.30. *Psal.*104. ferè totus; *Iob* 37.2, *&c*, *Iob* 38 *Isa.*51.15. *Psal.* 135 7. Vbi cura Dei de Burris, Vegetantibus, Meteoris omnibus, &c. describitur. Item de rebus Voluntariis, siue Actionibus humanis, bonis malisque; vt *Prov.*36.1.9. *Ier.*10. 23. *Psal.*139.1, *&c.* *Psal.*33. 13,14,15. *Iob* 12.10. De Honoribus. *Psa.*75.6,7. Calamitatibus, Morbis, Pœnis, et-

ciam-

eiusmodi. *Amos* 3.6. *Iob* 5.18. *Iob* 12. 14, 5, *&c.* 1 *Sam.* 2.6,7,8. *Isa.* 45.7. Rerum publicarum periodis. *Dan.* 2. 21. *Dan.* 4.32.35. De Actionibus Hominum particularium, vt Cyri *Isa.* 45.13. Omnium Regum. *Pro* 21.1. Iudæorum contra Christum. *Act.* 4. 27. 28. Shimei maledicentis. 2 *Sam.* 16 20. Regis Assyriæ. *Isa.* 10 5. Fratrum Iosephi, *Gen.* 45 8. et *cap.* 50.20. Sic irritum fecit consilium Achitophelis. 2 *Sam* 17.14. Et Gentium. *Psal* 33.10. Item de rebus fortuitis et Contingentibus. *Exod.* 21. 13. Homicidium inconsultum. *Prou.* 16.33. Sortes. Sic in Calamitatibus Iobi. *Iob.* 1.21. Lapsus passerum. *Mat.* 10 29,30.

Tam latè igitur diffunditur Prouidentia, quam ampla est ipsa rerum Vniuersitas. Nihilque eius curam fugit, non ipsæ quidem rerum Minutiæ, quin has etiam Deus regit, et ordinat pro libitu Voluntatis suæ. Nec passerculus in terram labitur, nec de capite capillus, vel de arbore folium cadit, sine cœlestis Patris Prouidentia. Nempe etiam

etiam hæ res Essentiam bonam habent, et Vsum, Finèmque bonum, etsi Nobis sæpiùs incognitam. Vt igitur illam habent à Diuinâ Potentiâ creante et conseruante: ita in hunc per Diuinam Sapientiam, Prouidentiam et Bonitatem disponuntur, et determinantur.

Sunt, quia Deus voluit Esse: neque minima creasset, si minima contemneret. Sic de obiecto. Sequuntur

2. Gradus seu Partes, seu Actus diuersi Diuinæ Prouidentiæ, qui exercentur circa Obiecta ante enumerata. Hi sunt, 2 *Gradus.*

§ 1. Conseruatio, πρόνοια κατ' οἰκονομίαν, quæ duplex est,

* 1. Existentiæ, quæ est continuatio rerum per Creationem existentium. Tum

1. Specierum, vt Humani generis, &c quas Deus continuâ successione, et generatione perpetuas efficit.

2. Indiuiduorum, quæ conseruantur à Deo ad tempus, quamdiù ipsi visum erit.

* 2. Vir-

* 2. Virtutis, quæ est propria cuiusque Creaturæ virium, ad operationes, et Perfectiones eius pertinentium, sustentatio, et motio. Vtraque describitur, *Act.* 17. 28. [In eo viuimus, mouemur et sumus] 1 *Tim.* 4. 10. [σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων] dicitur. et *Iob.*

Hic vero circa dependentiam rerum et Actionum à prima illa, & vniuersali Causâ, duæ notandæ sunt regulæ.

1. Principium primum sic agere in Principiis inferioribus, vt nihil de illis detrahat: sed integras relinquat Actiones ipsorum ordinariè. Sic enim Deus agit, vt ipsa interim proprios motus exercere et agere sinat.

2. Principium illud primum agere per inferiora, secundum inferiorum modum, et rationem. Quotiescunque enim multæ causæ coordinatæ incidunt, Effectus vltimus non sequitur Causam primam Necessitate vel Contingentia; sed Causam proximam. Vnde Fatum Christianum naturale, nempe series, et ordo

Cau-

Causarum naturalium, à primâ Causâ dependentium, quæ nisi ab eâdem impedientur, vi, et Naturâ eosdem producunt effectus.

§ 2. Gubernatio seu Rectio, quâ Deus iure Monarchæ de omnibus rebus statuit, et disponit, easque regit pro libertate voluntatis suæ. Est hæc gubernatio planè Monarchica, et ordinatissima; quia vna, et summa atque absolutissima; quia penes Deum, vt absolutè consideratur authoritas. Ius atque Dominium est absolutum, et merum in omnes Creaturas, vt possit de iis statuere quicquid ei libitum est, et disponere in fines, quoscunque ei placitum erit. Actio vero Dei gubernantis, est in Genere duplex. Ius Vitæ et Necis.

1. Permittens (πρόνοια κατὰ συγχώρησιν) cum Deus Actiones Creaturæ non inhibet: sed Agentis voluntati permittit earum modum, Idque. Vel

Simplicitèr et absolutè, cum permittit id quod posset immediatè inhibere, vt [Adamum permisit labi. Vel;

Ex

Ex suppositione aliquâ, humanæ conditionis aut infirmitatis. Sic Repudium Iudæis permittit, ob duritiem Cordis, et alia multa in veteri Testamento.

2. Perficiens et agens (προνοια κατ' εὐδοκίαν) qua Deus perficit, et efficacitèr agit in rebus omnibus et singulis, quicquid sui Operis est: siue quicquid est Bonum naturâ communi aut singulari. Hæc cernitur et dignoscitur multis modis: In

1. Præcipiendo siue Legum præscriptione, quâ Deus vt summus Monarcha et Legislator Creaturis rationalibus leges et Normas agendi ponit et promulgat.

2. Executione Iustitiæ, siue distributione Præmiorum, et Pœnarum: cum Deus subditos defendit, et remunerat; rebelles autem pœnis condignis plectit. In quâ tanta est æqui bonique obseruata ratio, vt Bonis in hac vitâ nunquam Malè, et malis nunquam Benè (propriè legendo) contingat. g Rom. 8. 28

3. Ordinationem, qua Deus omnes res, omniumque Res, Actiones et

Mo-

Motus, in suum ordinem (quamuis inordinatissima sint) et ad certos fines disponit, et perducit admirabili sua sapientiâ. In hac ordinatione Deus tria efficit.

1. Constituit rebus omnibus, vt formam; ita Fines suos, vel proprios, et proximos, qui naturales sunt, vel vltimum illum et Communem, supranaturalem, *viz.* Gloriam suam in Iustitia suâ, et Gratia.

2. Media omnia in hos fines disponit.

3. Disposita efficacitèr promouet, et modis sapientiæ Diuinæ cognitis, siue reuelatis, siue occultis, in fines statutos deducit.

Atque hæ sunt Actiones Prouidentiæ communitèr spectatæ: Proximum est, vt de iis dicamus particulariùs in relatione ad singula subiecta, siue obiecta Prouidentiæ. Itaque,

1. Naturæ et Essentiæ rerum, omniáq; Accidentia naturæ Integræ, Diuinæ subiacent Prouidentiæ, modis omnibus, conseruationis, gubernationis, efficacis et ordinationis.

Act-

Accidentia verò Naturæ læsæ et deficientis gubernantur permissiuè, et ordinantur efficacitèr.

2 2. Fines rerum et Media cuiuscunque generis ad eos ducentia omnibus modis constituuntur, regunntur, et ordinantur à summâ Prouidentiâ.

3 3. Actiones omnes, Naturales et Voluntariæ subiacent Diuinæ Prouidentiæ.

1. Conseruanti, Deus enim rerum Naturas, et Libertatem Voluntatis conseruat.

2. Gubernanti efficacitèr et mouenti, Quia Deus, vt Principium Vniuersale, reliqua Principia mouet, vt agant.

3. Ordinanti, quia Deus omnes Actiones Creaturarum in fines ipsis præstitutos disponit, et deducit.

4 4. De rebus Necessariis et Contingentibus, cum maior sit difficultas, earum Naturam altiùs repetendo scrutabimur.

Necessitas et Contingentia est ordo immutabilis vel mutabilis inter Causam et Effectum.

Ne-

Necessitas duplex est,

1. Absoluta, et simplex, eorum quorum Oppositа sunt impossibilia, atque implicant contradictionem, cum naturâ Causæ et subiecti; vt [Deus est bonus infinitus,&c. sic omnia Principia Naturæ [Idem non potest esse, et non esse] Totum est maius parte] &c. atque omnes propriæ passiones Essentiam consequentes, sub quarum oppositio,subiectum sine contradictione concipi non potest; vt, [Homo est risibilis, Voluntas libera, Ignis est calidus,] &c.

2. Consequentiæ ex hypothesi et conditione, quæ est eorum, quorum oppositа non sunt absolutè impossibilia, aut contradictoria, sed quibusdam positis aliter esse non possunt; quæ tamen poni, non fuerat necessarium. Estque ex triplici Conditione.

1. Decreti Diuini immutabilis: Quod enim Deus decreuit, necessariò sit, tamen liberrimè: quia ab æterno poterat, vel non decernere, vel alio modo decernere. Sic Mundus

dus necessariò creatus est. et hac quidem Formâ. vid. *Matth.* 26. 53, 54.

2. Causarum secundarum Naturalium. 1. quæ sic à Deo sunt conditæ, vt iam existentes, non impeditæ nec mutatæ, non possunt aliter agere, quam agunt: sed sunt determinatæ ad vnum oppositorum, quæ tamen vel non existere omninò, vel impediri, vel mutari ab illo poterant. Sic Ignis vrit necessariò: à Deo tamen Babylonicus impeditus est. 2. Vel quæ sic sunt à Deo conditæ, vt sint indifferentes ad oppositos effectus producendos, vel suspendendos: tamen vel à Deo, vel ab aliis Causis ita mouentur, vt necessariò determinentur ad vnum Oppositorum. Quæ tamen aliæ Causæ mutari poterant.

3. Existentiæ, vel { Actioni ipsius Causæ, / Rei ipsius causatæ. } Causa enim quæ Contingenter et oppos. è poterat agere, quando tamen

vno

vno modo agit, non potest non sic agere. Similitèr qui Contingens erat fore: quando tamen fuit aut est, non potest non esse aut fuisse. Quia duo Contradictoria non possunt esse simul vera.

Sic de Necessitate. Contingentia est immutabilitas opposita Necessitati. Estq; duplex:

1. In Vniuersali, ipsa nempe Contingentia, quæ necessitatem quandam implicat? quoniam necesse est, vt detur Contingentia, cum rerum modus, atque Natura ita postulet, vt, aliæ res sint necessariæ, aliæ Contingentes. Cuius rei fontes duo sunt.

1. Libertas Voluntatis Diuinæ, Angelicæ, et Humanæ.

2. Materiæ Elementaris Natura mutabilis, et instabilis, atque ad varios motus formasque aptitudo et inclinatio.

2. In particulari respectu particularium omnium Caularum, et Effectuum, inter quæ mutabilis, et incerta est dependentia. Idque triplici

Fa-

ratione, et respectu.

1. Potentiæ Libertatisque primi agentis, et primæ Causæ, quæ cum sola sit naturâ immutabilis potest pro libitu omnes Causarum secundarum vires et operationes mutare, vt vel non agant, vel alio modo operentur, quam quo per Naturam suam debuerunt. Etsi enim ad certos effectus sint a Deo ordinatæ: tamen mutabiles sunt, et subiectæ Diuinæ Gubernationi operanti per eas, vel contra, vel præter ordinem statutum. Adeòque Nihil in Mundo tam certum est, quod Deus incertum reddere non possit; iis exceptis, quæ implicant Contradictionem.

2. Proprias Naturæ Causis secundis à Deo inditæ. Quando ex sua Naturâ Contingenter operantur; neque ad vnum magis quam alium effectum determinantur; sed ad plures sunt indifferentes & æqualiter dispositæ. Vt [Flatus Ventorum; Motus localis Animantium; Actio Voluntatis Humanæ.]

3. Accidentes alicuius, quando Causam aliquam per se agentem, Ef-

Effectus ex accidente aliquo contingenter sequitur, Ad quem suâ vel intentione, vel Naturâ non erat ordinata. Vt fit in omnibus Causis accidentariis, siue Voluntariis, in quibus Fortuna est; siue naturalibus in quibus inest Casus. Vt [Qui excussâ sagitta Corum præteruolantem transfixerit. Concha ex ore Aquilæ ad fracturam dimissa, Poetæ in rupe sedenti cranium contregit Item exempla Tegulæ, Securis, Inuentionis Thesauri, et Tripodis à Piscatoribus & Fossoribus. In quibus et sexcentis similibus, connectio et ordo, qui est inter Causam apparentem, et Effectum, contingens planè est et mutabilis, si propriam Naturam illius Causæ spectes, quæ ad vnum alium effectum per se natura determinata, et non ad hunc, qui accidentaliter euenit. Vt Tegula ad descensum ordinata est, non ad cædem. Fossio ad commodum Vinearum, non repertionem Auri Hoc tum respectu, nostri sensus Iudicii tum respectu. Naturæ aulæ manifestæ et apparentis, contingenter accidit; quamuis ratione

tione alicuius causæ per se occultæ nobisque ignotæ, quæ Causis per accidens adiuncta est, iste euentus necessariò sequebatur, neque aliter fieri poterat.

His præmissis de re summâ, sic verisimilitèr statui potest.

1. Effectum et opus est Diuinæ Prouidentiæ aliquid euenire, quocunque modo; siue Contingenter, siue Necessariò. Ideò enim euenit Necessariò, quòd Deus disposuerit necessariò euenire: ideóque Contingentèr, quod contingentèr voluit accidere. Deus enim hanc Naturam, et proprietates rebus indidit vt secundum hunc rerum modum à se constitutum conseruatumque facit (vel mediatè, vel immediatè, vt Principium vniuersale) vt Res vtróque modo se habeant: atque ex Causis necessariis, necessarii ex Contingentibus, contingentes effectus producantur.

2. Aliud esse euenire Necessariò, aliud Contingentèr, aliud infallibilitèr. Illa duo notant ordinem inter Causam, et Effectum; hoc autem

tem Communis est, quia tam Contingentia, quam Necessaria eueniunt infallibiliter : sed illa contingenter, hæc Necessariò. Itaque notentur duæ Regulæ vtilissimæ.

1ª. Effectus omnes denominantur necessarii vel contingentes, non à Causâ primâ, et remotâ, sed à Naturâ Causarum proximarum necessaria, vel contingente.

2ª. Necessitas Consequentiæ non tollit Contingentiam. Ideóque Effectus omnes, qui rectè possunt dici Necessarii, vel potiùs infallibiles respectu Causæ primæ et Vniuersalis (*viz.*) Decreti et Prouidentiæ Diuinæ, respectu Causæ secundæ et proximæ, Contingentes merito habentur. Quare Prouidentia non tollit Libertatem Voluntatis Humanæ, quam nullo modo cogit.

3. Ex omnibus patet Dei Prouidentiam versari circa Contingentia, et Necessaria.

1. Conseruando vtrorumq; Naturas et Existentias.

2. Gubernando efficacitèr, vel permissiuè.

3. Disponendo deniq; in finem præstitutum.

5 5°. Vltimo Loco, de Benis et Malis actionibus, dissetere oportet. Quo modo circa illas Diuinæ Prouidentiæ efficacia versetur. De Benis nulla est Controuersia: (has enim simpliciter vult.) Omnis difficultas circa malas habetur. Breuiter rem perstringemus.

Malum duplex est:

1. Pœnæ, vt omnis destructio, afflictio, et desertio Creaturæ rationalis; Quibus Deus punit peccata. Hoc Malum, etsi sit Creaturæ malum, tamen in se Bonum est Morale, quia est executio Legis, et declaratio Iustitiæ. Quare Deus, Iudex Mundi, et vindex Iustitiæ atq; Gloriæ suæ, illud vult, efficit, determinat et ordinat. *Ier.* 28.8. *Amos* 3. 6. *Isa.* 45.7.

Culpæ, et est peccatum, quod duplicem rationem subit, Boni et Mali. Nam etsi detur summum Bonum, *viz.* Deus, non tamen summum Malum, quod cum aliquo Bono non sit coniunctum. Nam summum Malum omnem

omnem tollit Bonitatem, et Naturalem, et Moralem. Et sic penitùs destruit subiectum, et tandem in purum Non-Ens euadit. Itáque in peccato rectè distinguitur Ratio Boni, et Mali ratio.

Peccatum autem,

* 1. Malum est in se et per se, quatenùs est Prauitas, Defectus, et Deformitas, pugnans cum Dei Naturâ, Iustitiâ, et Bonitate. Et hoc dicitur Formale peccati. Cuius respectu Deus simpliciter non vult, non efficit, non probat, non adiuuat Peccatum, *Psal.* 5. 4. [Tu non es Deus volens Iniquitatem;] Permittit autem, id est, non impedit quo minùs fiat à Diabolo et Homine. Quæ Permissio, quatenùs ipsum Formale peccati respicit, pura est Voluntatis remissio, et mera negatio omnis efficaciæ circa Peccatum. Quia, quatenùs est Peccatũ, et quia est peccatum, Deus illud nec vult, nec producit; quoniam voluntas summè bona, nec vult, nec producit nisi optimum. Quod si dicatur Malum, quatenùs Malum, non potuisse

Esse; nisi Deus illud ita voluisset: Dicimus aliud esse, velle Naturam Mali; aliud velle Existentiam Mali. In illo enim Voluntas terminatur in ipsâ Mali Malitiâ, siue in Malo, vt est in se Malum. Quod dici de Voluntate Diuinâ, sine Blasphemiâ non potest. In hoc autem vlteriùs tendit, et terminatur in Mali existentiâ. Hæc enim res bona est. Bonum enim est, vt Malum existat: velle autem, vt Malum sit, illud non est velle malum in se, sed propter Euentum. De quâ re infrâ.

* 2. Bonum est duplici respectu.

¶ 1. Subiecti, quia inest in Bono subiectiuè, *viz.* in Naturâ, et in Motu, Inclinatione, et Actione aliqua Naturali, quæ à Deo est, et hoc vocatur Materiale Peccati. Has actiones, in quibus peccatum inest, Deus efficaciter vult, ciet atque regit. Ille enim conseruat eam, quam dedit, Naturam, quæ Naturalium; et Voluntatem, quæ Voluntariatum Actionum principium est, vi suâ determinans Motus suos, et liberè, ad actiones quasuis indeterminatas in-

clinans,

clinans. Deinde sustentat Voluntatem, vt Rem Naturæ, principio communi: et actiones naturales et voluntarias mouet principio singulari. Quare Vna eadémque Actio potest Bona simul Esse, et Mala secundum Principiorum differentiam. Bonum secundum genus, quatenùs à Deo et Naturâ communi est. Nam Deus et Natura per se nunquam non bonas actiones edunt: Mala autem secundum rationem particularem in Homine, quâ corruptus est. Omnis enim actus vitiosus suscipit Necessitatem Vitii à [h] Causa proximâ, quæ est Voluntas peccantis. Quæ propter agnatam corruptionem, Hominem, et quæ hominis sunt, inficit; et cum sit Actionum Principium internum, corruptionis istius Vim ac vitiosam Qualitatem, actionibus infundit immediatè. Principalitas, scilicet, Causalitatis omnis, in peccato, consistit penes Voluntatem, quæ imperat actum. Hunc Dei circa Malas actiones Concursum, quamplurima testantur Scripturæ loca, vt Gen. 45. 8. [Non Vos misistis] sed

[h] Vt in Catena, non aliter quàm proximus annulus, in vitio ac culpa est, quod Catena frangitur.

Deus misit] *Deut.*2.30. [Deus indurauerat spiritum Sihonis.] *Psal.*105. 25. [Deus mutauit animum Ægyptiorum, vt odio haberent Populum suum] Deus scilicet suum Opus Bonum, in et cum malis Hominum operibus perficit, illis neque coactis ad Malum, neque de Bono cogitantibus. Est verò hic Concursus, non nuda et ociosa speculatio: sed operans Permissio. (*i. e*) quæ ita permittit, vt aliquid interim efficacitèr et Positiuè agat: quod fit tripliciter.

1, Subtrahendo Gratiam et Auxilium, cum Creatura in agendo deseritur, et sibi ipsa relinquitur. Vt in Adamo denegauit consilium efficax, quo vires Voluntatis eius, quas sufficientes habuit, efficacitèr Peccato resisterent. Ita quoque Lucem subtrahit, non illuminando Mentē agnitione Voluntatis suæ. Vt *Deut.*29.4. [Deus non dedit Cor ad intelligendum] &c. et non patefaciendo Voluntatem Creaturæ, quâ illud Opus fieri velit. [Vt, *Rom.*14. 22,23. in illis qui comedunt dubitante

tante Conſcientiâ.] Quando autem auxilium hoc modo ſubtrahitur; Creatura Neceſſariò quidem, ſed tamen liberè peccat. Non poteſt non labi, et errare: præpendet tamen ad lapſum, et errorem ſponte, et vitio proprio, non coactione et impulſu Diuinæ Voluntatis. Vt enim Sol cauſat Tenebras, non inficiendo Aërem, ſed occultando lucem; et baculus humi cadit, à manu non impulſus, ſed relictus; et regio ab incolis deſerta abundat feris, non hominum culpâ ſed carentiâ; ita Deus peccatorum author eſt, non infundendo malitiam, et vitioſam aliquam Qualitatem hominum cordibus, aut voluntates eorum interne et efficaciter flectendo, cogendoue ad Malum, ſed eas in Actione ſuâ deſerendo, et ad obedientiam non flectendo, vt Deo ſint conformes; vnde ſtatim ipſæ propria ſponte vergunt ad ruinam et Peccatum. Deus ſcilicet multos eripit, neminem dejicit, et detrudit, multos ſanat, neminem vulnerat, à tentatione multos liberat, ipſe nemi-

nem

nem tentat, ipsimet nos derelictos deducimus, et corrumpimus. Denique, per ipsum quidem stamus, sed ex Nobis cadimus, et nostrâ culpa eò perintendente perimus. Cum enim is qui permittit inhibendi potestatem habeat, sine vlla obligatione, et is, cui permittitur, agendi sine vlla coactione, actus vtrobique est Voluntarius in priore, absque Culpâ in posteriore absque excusatione.

2. Mouendo et excitando, quoad Materiale Peccati. Deus enim vt Principium commune, Naturam, et quæ secundum Naturam sunt Actiones, motusque conseruat, et ciet, vt ante dictum est. Excitantur autem Motus, et inclinationes ad peccandum: cum

1. Remouentur Impedimenta, quæ obstaculo erant, quo in peccata liberè prorumperetur.

2. Proponuntur Obiecta, in se vel bona, vel indifferentia; talia tamen, quibus innata impiorum Corruptio, exardescit magis. Vt sunt Legis et Euangelii prædicatio, præ-

cepta,

cepta, promissiones, minæ, adhortationes, cogitationes item mentibus inditæ, et similia (vt Diuitiæ, quoq; et Honores, &c.) quibus vt per antiperistasin calor; ita corruptio inflammata ferocior et magis impotens euadit. Vid. *Rom.* 7. 8.

3. Determinando peccatum, dum Actionibus peccantium, modum præscribit, ne latiùs serpat, atque propagetur peccatum, magisq; noceat, vel aliis, vel ipsi peccatori, quam Deo visum erit. *Psal* 76. 10. [שארית חמת תחגר] *Pro.* 16. 9.

¶ 2. Finis, huius respectu peccatum bonum est, quia est ad bonum reductiuè. Deus enim admirandâ sua sapientia inde quod Bonum est elicit, atque ad id quod Bonum est ordinat. Peccatum quidem in se ἀταξία est, et mera confusio; neque εὐταξίαν ordinémque recipere potest; per accidens tamen ex infinita Dei sapientia ordinatissimè disponitur, et præter Naturam suam peccantisque voluntatem in Bonum conuertitur, atque deducitur. Exemplo potest esse Scelus Iudæorum

dæorum in Domino crucifigendo: in quo maxima erit rerum omnium confusio, si nostrum spectetur Iudicium; at Diuina manus, et consilium ista omnia præfiniuerat, sapientissimóque ordine in finem longè præstantissimum disposuerat. In illa enim quam Humana corruptio rebus attrahit confusione, optimus
1 Cor. 14. 33. iustitiæ, et bonitatis [1] ordo semper latet [1 Cor. 14.33.] aliquando etiam manifestè patet. Vult igitur Deus peccatum quoad Finem, et Euentum eius Bonum, ad quem illud ordinat. Qui est,

1. Illustratio Iustitiæ suæ, in Pœnâ et iustâ peccatoris punitione. Cuius summus gradus est peccatum punire per peccatum. Sic Deus voluit indurationem Cordis Pharaonis [*Exod.* 7.3.4] Sihonis. *Deut.* 2. 30. Maledictionem Shemei. 2 *Sam.* 16.10,11. Mendacium Prophetarum Achabi. 1 *Reg.* 22.23. Ita decepit Populum per pseudoprophetas. *Ier.* 4.10. Ipsosque pseudoprophetas. *Ezek.* 14.9. Omnes denique veritatis osores. 2 *Thes.* 2.11. Sic, Tradidit Gentiles

Gentiles cupiditatibus suis. *Rom* 1. 24. et 28. Dedit Iudæis spiritum soporis, oculos vt non cernant, &c. *Rom.* 11.8. In quibus et consimilibus locis, Deus, vt [k] iustissimus Iudex præcedentia aliqua peccata per subsequentia punit, et tam subsequentium, quam præcedentium debitis suppliciis viam munit, sicut ipsi loci indicant.

2. Castigatio [l] et Probatio. Sic per pseudoprophetas tentat Deus Populum suum. *Deut* 13. 3. et per hæreses explorat probos. 1 *Cor.* 11. 19. Et per peccata castigat suorum fiduciam nimiam, et superbiam, aliosque affectus malos, Vt in Petro. Piis enim etiam ipsorum peccata in Bonum cedunt. *Rom.* 8. 28.

3. Declaratio [m] Misericordiæ in nobis asserendis à corruptione peccati, per auxilium Gratiæ, et liberandi à Reatu et Pœnâ per merita sanguinis filii sui. *Rom.* 5. 20. 21.

4. Celebratio Gloriæ suæ in his omnibus.

3. Hactenùs de Obiecto et Gradibus Prouidentiæ; restant tertio, et vltimo

k Sic Areopagitici Cicutam Venenolâ fontibus & damnatis bibendam dabant in pœnam Maleficii.

l Sic Pharmacopæus Venenum ita miscet, et ex arte præparat: vt salutare inde fiat humoribus purgandis medicamentum.

m Sic idem Antidotum contra Veneni Vim ministrat.

3 *Species.*

vltimo loco Species illius, quæ tripliciDistinctione comprehendi posse videntur.

1ª. Prouidentia diuiditur, in

1. Mediatam, cum Deus Creaturas per creaturas tanquam per Media et Instrumenta regit. Vtitur enim Deus ministerio Causarum secundarum, tum Naturalium, tum Voluntariarum, vel Hominum, vel Angelorum qui sunt excellentissima prouidentiæ in Mundo gubernando organa. Vt patet ex locis Scripturæ in quibus eorum ministerium depingitur; tum generaliter, *Heb.* 1. 4. 14. *Psal.* 103. 20 21. *Psal.* 104. 4. tum specialiter, circa Bonos, et Electos: *Psa* 91. 11. circa malos, *Psa.* 35. 5. 1 *Reg.* 19. 35. *Isa* 37. 36. De hac mediata Prouidentia tria notanda sunt.

1um. Deus vtitur mediis non necessariò propter Defectum Virtutis suæ; sed ex libero Voluntatis suæ arbitrio, propter abundantiam Bonitatis suæ.

2um. Prouidentia non excludit, sed includit media, quibus neglectis

nisi

nisi Deus se illis non vsurum patefecerit, mala Conscientiâ illum tenebimus. Qui destinat ad finem, destinat ad Media.

3um. Deus malis instrumẽtis præter impiorum intentionem bene vti potest. Vt Iudæis fratribus Iosephi.

2. Immediatam, cum Deus per se ipse Creaturarum ministerio res conseruat, et gubernat. Sic Deus Causas rerum primas, et vniuersales immediatè regit conseruatque. Sic Apostoli vocati. *Gal* 1.1.

2ª. Prouidentia diuiditur, in

1. Generalem, quâ Deus omnium rerum quas creauit, curam gerit. Vt in *Psal.* [Tu Domine seruas Hominem & Bestias.]

2. Specialem, per quam, inter Creaturas, præcipuè Hominibus, inter homines præcipuè Electis paternâ curâ prospicit. Vt, 2 *Tim.* 4 9. Itde hac Prouidentiâ intelligitur Locus, 1 *Cor.* 9.9. [Num boues curæ sunt Deo?]

3ª. Prouidentia diuiditur, in

1. Ordinariam, cum Deus Mundum, Mundi res administret, secundum ordinem

ordinem et Leges ab ipso latas in Creatione.

2. Extraordinariam, cum vel contra, vel præter ordinem illum constitutum operatur. Vt in edendis Miraculis; de quibus postea plura fortasse dicemus.

FINIS.